



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Confessionale, || In Qvo || Vniversa || Materia De ||
Confessione Pec-||catorvm Apvd Catholicos || vsitata per
Quæstiones explicatur**

Eisengrein, Martin

Ingolstadii, 1577

VD16 E 795

XXVI. V. teneatur homo etiam mentis cogitationes prauas confiteri.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30362

Caput II. De Materia

non esse necessariam Satisfactionem vllam
exteriorem de peccatis, ante Baptismum cō-
missis, quippe quæ omnia per Baptismum
plenissimè condonantur, & sunt, ac si non
essent commissa: Sed vocalem Confessio-
nem exigit D E V S, loco satisfactionis pro
offensa contra D E V M per peccatum com-
missa. Igitur Confessio peccatorum, ante
Baptismum commissorum non est de neces-
sitate salutis.

Questio Teneturne homo etiam mentis cogita-
XXVI. tiones prauas confiteri?

Respsio. PECCATOR quisquis læthalia peccata post
Baptismū patrauit, tenetur ea omnia con-
fiteri, non solum exteriori opere; sed etiam
intima mētis cogitatione commissa, siue so-
la sint, siue exterioribus coniuncta. Id pro-
batur ex dicto Christi, sæpe citato: Quo-
rum remiseritis peccata, remittuntur eis;
Et quorum retinueritis, retenta erunt.

Ioan. 20.

Nunc quæro, an Christus hīc solum de
peccatis exterioribus locutus sit, an etiam de
interioribus.

Prius illud veritati consentaneum nō est,
quia tūm satisfaceret peccator Diuino præ-
cepto, si sola exteriora confiteretur, & ab
eisdem à Confessario absolueretur; præte-
rea Confessarius non haberet à Christo po-
testatem absoluendi, nisi ab exterioribus:
quo-

quorum vtrunq̄ue perabsurdum est affirmare.

Sequeretur enim, quòd *DEVS* remitteret in Confessione, sola exteriora peccata, nō etiam quæ sola mente committuntur: Nām verborum Christi sentētia hæc est: Peccata, quæ vos Sacerdotes remiseritis, ego remittam; quæ autem vos non remiseritis, nec ego remittam. Cū igitur secundū hanc respōsionem, Sacerdos non remittat meras cogitationum maculas, sed tantū exteriora scelera, quæ in Confessione audiuit; conuincitur hinc, neque *DEVM* remittere cogitationum peccata, sed solum exteriora, quæ Sacerdoti per Confessionem exposita, ab eodem sunt remissa: Quod impium est dicere; quia *DEVS*, vel nullum peccatum mortale remittit, vel omnia: Etenim, vel in remissione gratiam infundit, vel non; Si infundit, illa gratia omnia mortalia expellit; Si non, nullum igitur mortale expellitur aut remittitur.

Restat ergo, quòd Christus allegato loco, de omnibus mortalibus sit locutus, etiam sola mentis consensu patrat. Quare iure illo Diuino tenetur peccator mentis peccata confiteri, siue sola sint, siue exterioribus coniuncta.

Estne